



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 4. Sessio Tridentinæ Synodi decima septima, ac prima sub Pio IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sacrum solemne celebraretur, eique Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
cuncti Præsules una congregati inter-
essent, coram quibus æque, ac coram
Pontifice latinus sermo haberetur: cum
vero contingere posset, ut ad ejusmodi
sermones destinati ea, quæ tempori,
loco, suisque Auditoribus magis con-
grua forent, ignorare possent, hinc
idem proposuit, quemdam nominandum
esse Prælatum, qui, ut alias Magister
S. Palatii assolet, cuncta publice pro-
ponenda recognoscat, atque emendet:
porro hujus muneris cura demandata
fuerat Ægidio Foscarario Ordinis S. Do-
minici Religioso, ac Mutinensi Episcopo,
qui Inquisitionis jussu olim in Moroni
Cardinalis causa custodiæ dabatur. Deni-
que idem Legatus pro Synodi initio diem
decimam octavam Januarii præfigebat.

§. IV.

*Sessio Tridentinæ Synodi decima Se-
ptima, ac prima sub Pio IV.*

Præstituta inchoandæ Synodi dies erat Labbe Col-
lect. Conc.
tom. 14.
p. 840. &
1249.
Pollav. c. 15.
n. 13. &
c. 16. n. 4.
Dominica dicata Cathedræ Divi Pe-
tri Romæ: Sessio autem, quæ eadem
die habebatur, numero decima septima
erat a primo Concilii initio sub Paulo III.
itaque omnes Prælati, quorum centum
duodecim recensebantur, unacum om-
nibus, quibus Synodum accedendi jus
competebat, in Ecclesia Divi Petri con-
vene-

Sæcul XVI
A.C. 1562.

venerant, inde vero supplicum more ad Cathedrâle processerant Templum, ubi singulis suas sedes occupantibus Mantuanus Cardinalis Sacrum de Spiritu sancto decantabat, & Casparus Fossus ex ordine Fratrum Minimorum Rhegini in Calabria Archiepiscopus sermonem habuit, atque in suæ orationis argumentum selegit Ecclesiæ auctoritatem, atque Apostolos imitandi necessitatem, qui etiam hortabatur Patres, ut sua, qua pollerent, prudentia, & doctrina errores eradicarent, veritates Catholicas stabilirent, pacemque Ecclesiæ redderent, cum in ejusmodi Conciliorum celebratione ipsemet Spiritus Sanctus hosce fines sibi proponeret: postea demonstratum ibat, quod Petra, super quam Christus Dominus suam Ecclesiam fundaverat, sit ipsemet Divus Petrus, ejusque Successores, solaque Ecclesia Romana nunquam a vera fide deviaverit, cum tamen reliquæ omnes etiam ab Apostolis fundatæ, atque administratæ erraverint; quippe inquiebat ipse, Ecclesia Jerosolymitana a Sancto Jacobo, Asiana a Sancto Joanne, Achaïæ Ecclesia a Sancto Andrea, Indiana a Sancto Thoma, Æthiopienſis a S. Matthæo, Persiana a Sancto Juda, Phrygia a Divo Philippo administrata, ac omnes hæ, aliæque Ecclesiæ a fide

sensim

fenfim defecerunt, sola autem Ecclesia Romana, adversus quam portæ inferi nunquam prævalebunt, semper sancta, & immaculata permanfit. Denique ad orationis suæ finem Synodi Patres hortabatur, ut cœpta adversus Protestantes strenue prosequerentur. Porro hic sermo mox typis vulgabatur. (*)

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. V.

Decretum pro continuando, atque inchoando Concilio.

Absoluto hoc fermone Mantuanus Cardinalis, qui rem Divinam peregerat, Hymnum de Spiritu Sancto intonat, quo finito, cunctisque confidentibus Angelus Massarelus Thelafius in Apprutio Episcopus, ac Synodi Secretarius prælegit diploma de Synodo convocanda die vigesima nona Novembris Anno millesimo quingentesimo sexagesimo editum, quod jam supra retulimus, eoque recitato Rheginus Archiepiscopus decretum de continuanda Synodo prælegit his verbis conceptum: *Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, Reverendique Patres: placetne vobis ad laudem, & gloriam Sanctæ individue Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*

Vid. Lib. CLIV. §. 126.

(*) Pallavicinus duntaxat Præfulum centum sex numerat præter Mantuæ Ducem,